DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

EPILEPSIA.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,
Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academia Lugd.-Batavâ Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decretô,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

BALTHASAR DIETRICUS, Gorl. Luſ.

Ad diem 10. *Aprilis locô horiſque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

31
1185.g.16
31.
h.

34

VIRIS

Nobiliſſimis, Conſultiſſimis, Excellentiſſimis, Ampliſſimis atque Prudentiſſimis

INCLYTÆ REI PUBLICÆ GORLICENSIS

D^NN. CONSULIBUS, SYNDICIS, PRÆTORI, SCABINIS, ET SENATORIBUS Graviſſimis.

Dnn. Patronis ac Fautoribus, omni honoris ac obſervantiæ cultu ætatem devenerandis,

DISPUTATIONEM SUAM INAUGURALEM

ſubmiſſè offert

BALTHASAR DIETRICUS, *Auth. & Reſp.*

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE EPILEPSIA.

THESIS I.

Epilepſia dicitur ab ἐπιλαμβάνω quaſi prehendo, quod ſubitò & ex improviſo homines prehendat. Aliis horrendus morbus appellatur, ab inſultu videlicet: item ſacer, quia putarunt Veteres cauſam ejus eſſe ſacram, & divini quid ſub eo latitare, quamvis ipſe *Hippocrates* eos, qui hoc ſtatuerint, rideat *Lib. de Morb. ſacr.*, cum æque medicamentis cedat naturalibus, atque morbi alii. *Germanis*, Die fallende Sucht oder ſchwere noth: qui verò plura de explicatione *etymologica* deſiderat, Lexicographos conſulere poteſt: nos potius ea, quæ ad morbi *naturam* pertinent, inveſtigabimus. Quod ut eò clarius perſequi valeamus, noſtri inſtituti eſt, *primò* muſculorum motum, tanquam præcipuum epilepſiæ phænomenon, ſpeculari; *deinde* ex enarratis phœnomenis *cauſas* morbi, earumque *prognoſes* eruere; *tertiò phœnomena* morbi *à poſteriori* demonſtrare; *tandemque curationem* pro virili aggredi.

II.

Ad muſculorum motum tota nervorum & muſculorum ſtructura, nec non ſpirituum animalium generatio & determinatio requiritur; itaque primò à nervorum origine initium faciam. Ex Anatomia conſtat, cerebrum ex multiplici fibrarum textu compoſitum eſſe, à quo omnes nervi & uterquè medullæ ſpinalis truncus initium ſuum habent, qui in quamlibet totius corporis partem qua-

quaqua verſum terminantur & divaricantur, ita, ut cerebrum in totidem abire videatur funiculos: fibræ enim illius in plures colliguntur faſcias, quæ ſimul ſunt unius inſtar trunci, quamvis reverà toto ſui decurſu ſint ab invicem ſeparatæ & diſtinctæ: pariter ac netrices, à colo cum fila trahunt girgillo, quamvis plurimas combinent lini fibras, & combinatas invicem contorqueant in filum, ſingula tamen filamenta, utut intorta, quod in colo habent ſeparatum initium, in progreſſu ſervant: nervi ſimiliter è cerebro exeuntes analogum quid referunt: ſunt enim quaſi totidem in filum compactæ lini fibræ, & communi membranæ incluſæ, ad muſculum cum pervenere, in ſimiles iterum divaricantur fibrillas; ita ut ex infinitis illis per longum & oblique circumductis *cutis* combinata ſit, teſte microſcopio, & faciant reticulare corpus, quod poſt *cuticulam* ſeſe obtulit *Malpigio. Barthol. Anat. L.* 1. *c.* 2.

III.

Ex quibus apparet, ſingulas fibras ut plurimum plus minuſve eſſe rotundas, non quidem mathematicè, cum natura tantâ acribeïâ opera ſua non exſequatur, ſed utcumque teretes & multis in locis figuræ irregularis; quapropter ob figuram hanc, non tam arctè ſibi mutuò incumbere poſſunt, quin aliquos ductus relinquant intermedios, non ſecus ac inter aliquot cylindros, ſibi mutuò impoſitos, remanere videmus, per totum decurſum, ſpatium aliquod triangulare. Et hæc ſpatia ferè referunt figuram, quæ ex contactu trium pluriumve circulorum oritur, ſed inordinatius figuratam, adeò ut in quibuſdam locis vix ullum tale intermedium ſpatium relinquatur: iſtos autem canales exiguos ſecundum fibrarum longitudinem extenſos cujuſcunque figuræ vocabimus *tubulos*.

IV.

In cerebro notabiles cavitates reperiuntur, quæ ventriculi appellantur, qui ſpirituum animalium promptuaria ſunt, licet aliter magna Eruditorum cohors hic ſentiat. Nobis videntur excrementa, quæ in cerebri nutritione ſegregantur, & pituitam in cerebro genitam colligere, & permeatum ad infundibulum mittere, inquit C. *Bauhinus Anat. L.* 3. *c.* 13. Excrementorum receptacula vocat *Bartholinus Anat. L.* 3. *de Capit. cap.* 6. Verum, ſi liceat & nobis, quod licuit Hippocrati περὶ ἀρχῶν ἢ σαρκῶν cavitatum evolvere generationem, dilucidè ſatis *à priori* noſtrum patebit aſſertum. Conſtat enim ex Anatomia, quod cerebrum embryonis

nihil

nihil aliud ſit, quam viſcida aquæ, quæ ſanè in medirullio in fornices excavari non potuit; niſi alia accederet cauſa: lubricis enim & lævibus aquæ exhalantibus particulis craſſa remanet materia, quæ in unum compacta informe dabit *chaos*. Debuit igitur alia extitiſſe vis, quæ illas ſpeluncas efformaret, & nunc conſervet; quicquid rimemur, non occurrit alia, niſi ſpiritus vi exilientes è vaſis plexûs choroideï ſingulis arteriarum pulſibus. Non ibo inficias, idem per totam cerebri molem fieri, cum per totum diſperſa ſint vaſa capillaria, non tamen erit notabilis, quam efformabunt, cavitas, ſed vias ſaltem ſuæ figuræ & magnitudini appropriatas, dabunt. Plexus autem ille reticularis ex arteriolis, quibus conſtat, ferè innumeris, integras catervatim emittit ſpirituum turmas, qui junctis viribus exilientes, materiam ſibi obviam removerunt, ſed aquea denuò collapſa & formata cavitas obliterata fuit. Cum verò paulatim exſiccaretur cerebrum, ſpiritus illam ſenſim & ſenſim magis removerunt, ut cum cerebrum cum tempore magis ac magis exſiccatum, aliquam conſiſtentiam nactum fuerit, difficilius relabi potuerit, unde fit, ut fibræ aliis impoſitæ ſiſtantur, donec tandem conſtantem potuerint ſervare ſitum ventriculi.

V.

Hactenus generationem ventriculorum *à priori* demonſtravimus, ubi jam maxima ſpirituum copia gigni debeat ſatis claret. Jam videamus, an id etiam ſequatur *à poſteriori*. Hanc igitur primò producemus regulam: Quod nullæ cavitates in corpore conſervari poſſint, niſi cauſam habeant conſervantem. Sic videmus in fœtu multas cavitates, cum uſum amplius habeant nullum, obliterari, v. gr. conjunctio vaſorum cordis, vaſa umbilicalia &c. Ita inteſtina ipſa abirent in ſolidum corpus, niſi continuè diſtenderentur à fæcibus tranſeuntibus. Sic cogitandum, ſimile quid eventurum in ventriculis hiſce cerebri ob ejus pondus, niſi magna quantitas ſpirituum continuis pulſibus exiliens, conſervatrix eſſet iſtarum cavitatum.

VI.

Notandum hic quoque eſt, alios nervos dari, qui functionibus animalibus non inſerviunt, quorum initia non pertingunt ad ſuperficiem concavam ventriculorum cerebri, ſed incipiunt vel à media ejus parte, vel à ſuperficie convexa, unde ſunt automaticæ

functionis, ad quam mens nihil contribuit. Sed uſum tantum habent, ut per hos nervos, ſpiritibus impletos, obſtructiones partium præcaveantur, humores nutritioni inſervientes in partibus ſolidis circulantes promoveantur, & reliquiæ efficaciter repellantur verſus ſanguinem; Alios verò nervos dari motui voluntario & ſenſui dicatos, in ſuperficie concava ventriculorum cerebri oriundos, per quos functiones animales fiunt, quique pro lubitu & arbitrio mentis afficiuntur: quo ſpectant quoque illa, quæ, quamquam non ſemper pro lubitu fiant, fieri tamen poſſunt. Sic reſpiratio pro *vitali* functione haberi poteſt, quatenus procedit ex mechanica corporis conſtitutione, quemadmodum automata incedunt: quatenus verò certâ ratione reſpiratio à mente dirigitur, pro *animali* functione reputatur.

VII.

Conſideratâ nervorum, ſequitur muſculorum ſtructura. Docuit autem *curioſior* Anatomia carnem muſculorum conſtare ex ordine fibrarum certâ ſerie extenſarum: ut verò ſubſiſtant & cohæreant, habere membranulas nervoſas fibris carneis interiectas, tam mirabili contextu diſpoſitas, ut, quot ſunt fibræ, tot quaſi ſint membranæ, ut videre eſt in carnibus annoſorum boum coctis, dum fibras ab invicem diducimus. Obſervandum quoque eſt, quod talis membrana nervoſa extrinſecus pariter quemvis muſculum involvat atque inveſtiat, & quod ipſæ muſculorum fibræ circa extremitates in nervoſas deſinant & quaſi degenerent, atque ſic cum membrana iſta muſculum obtegente, muſculi conſtituant tendines. Veriſimile etiam valde eſt, fibras illas carnoſas in primordio generationis totidem fuiſſe vaſa ſanguifera, ſpiritibus turgida, quibus avolantibus, ſanguis reliquus grumefactus fuit, & niſi ipſam carnem, ſaltem carni quid analogum compoſuiſſe. Cum verò & hæ fibræ ſint teretes, ſibi incumbere non poſſunt, quin ſpatia remaneant triangularia, in quæ continuò ex poris arteriarum & venarum varii generis particulæ, quas humores pro nutritione partium circulantes vocamus, deponuntur, ita ut iiſdem fibræ ſemper innatent.

VIII.

Adjicere hic quoque neceſſe habemus, muſculos dari antagoniſtas, qui diverſam omninò & oppoſitam habent operationem: itaque cogitandum eſt, in principio generationis muſculos antagoni-

goniſtas ſibi invicem valdè vicinos fuiſſe, & ex illa vicinia poros ſibi valde correſpondentes eſſe nactos, ita, ut ſpiritus ex uno in alium facillimè tranſeant: valde quoque notabile eſt, quod omnes partium tubuli carnoſi æque ac nervoſi ſuas habeant valvulas, muſculos antagoniſtas reſpicientes, quibus revulſis, aut in contrariam partem detortis, ſtatim commercium hoc ſublatum eſt, niſi vel ſponte, vel vi foris factâ, in priſtinum illæ reducantur ſtatum. Licet vero adhuc valvulæ iſtæ craſſis manibus & oculis nondum ſint repertæ, minimè tamen ſequitur, non eſſe illas, cum illas videamus in vaſis majoribus, & vaſis lymphaticis ſint quoque repertæ; quo igitur jure denegabimus illas nervorum & muſculorum tubulis, quamvis viſum fugiant?

IX.

Tertium denique requiſitum ad motum muſculorum ſunt ſpiritus, qui omnem motum muſculorum producunt, quorum generationem & naturam breviter conſiderabimus: nimirum, ubi cibus in ventriculo benè fermentatus, atque in lacteum pultem ſive chylum concoctus, ad inteſtina pergit, ex his in venas lacteas per meſenteri tunicas diſperſas exprimitur, ex iiſque in receptaculum commune effunditur, inde per ductum choracicum ſurſum motus in venam ſubclaviam ſiniſtram exit, ibique ſanguini miſtus in cor influit, primumque in auriculam ejus dextram, inde in ventriculum dextrum, inibique fermentatur: cum autem nulla fermentatio fiat ſine rarefactione, & ſic majus requiratur ſpatium; hinc cedentibus valvulis ſemilunaribus emittitur ſanguis in arteriam pulmonalem, revertitur poſt per venam pulmonalem in ſiniſtram cordis auriculam, & de hinc in cavitatem, ibi denuò rarefactus per arteriam aortam egreditur, ubi in bivium diſcedendo pars ejus ſubtilior ſurſum pergit mediante trunco aſcendente, per arterias carotides internas & externas cum cervicalibus eundo ad caput, quæ vaſa *tum extra* ventriculos cerebri in infinitos ramulos tam exiles diſperguntur, ut inviſibiles eſſent, niſi diſſecto cerebro punctis quibuſdam rubris ſe prodant; *tum* quoque *intra* ventriculos myriades vaſculorum diſſeminantur, plexum choroïdeum conſtituentes.

X.

Jam notum eſt, corpus quò plus dividitur, eò plus accipere ſuperficiei, ita, ſi totus ſanguis contineatur uno canale, ejus per-

exigua eſſet ſuperficies, ſed, cum vaſa, quibus continetur, in tot, imò innumeros diſpergantur ramos, non poteſt non maſſa ſanguinea ſic diviſa tantò plus acquirere ſuperficiei. Sic cereviſiarii cereviſiam, ut & œnopolæ muſtum in vaſa lata minimeque profunda emittunt, quò facilius fœces deponantur; majore nimirum conceſſa ſuperficie. Sic itaque per cerebri & plexus choroïdei innumera vaſa eorumque poros, ſingulis pulſibus magna ſpirituum copia tranſcolatur, tanquam per cribrum. Ita enim cum arteriis comparatum eſt, ut ſingulis pulſibus intumeſcere nequeant, quin tunicæ earum fiant poroſiores, & pori earum in magnitudine & figura mutentur; adeoque tranſitus per hos fiat facilior, particulis ſanguinis ſubtilioribus exituris, iiſque *ſine ullo diſcrimine* conſideratis. Sola enim ſubtilitas, ex quacunque materia fiant, eſſentiam nobis conſtituit ſpirituum. Ad hanc ſeparationem, tam in cavitates cerebri majores, quam in tubulos ejus minores, multum quoque confert multiplicitas vaſorum illorum anfractuum & mæandrorum, quibus incedunt per cerebrum. Nam ex Phyſica notum eſt, omnem motum ex natura tendere ad lineam rectam, quamdiu non impeditur ab alio corpore prævalente viribus. Sic etiam ſanguis ferventiſſimus, dum ad cerebrum pervenit, continuat motum ſuum ad lineam rectam, quamdiu poteſt: uti in fluviis videmus, quorum multi ſunt mæandri, aquas, cum non poſſunt amplius rectà fluere, maximum facere impetum in angulum inflexum, ibique, ſi ramenta arborum innatant, colligi: non impar ratio eſſe videtur vaſorum cerebri in ſuis flexibus, dum ſanguis in iis contentus, motum ſuum ad lineam rectam continuare nequit, majorem iſtos in angulos idcirco impetum facit. Cum verò in ſanguinis maſſa volatiles craſſioribus ſint mixtæ particulis, craſſiores poros ſubire impotentes, impetum illum transferunt in ſubtiliores, quæ ſic multò magis motæ cum vehementia cerebrum intrabunt, & ubique in toto cerebro à maſſa ſanguinis ſeparatæ, magnam ſpirituum copiam conſtituent.

X I.

Hiſce jam poſitis oſtendemus, quomodo muſculorum motus naturalis fiat. Putamus autem, quamdiu fermentationes ſanguinis legitimè procedunt, quod tam diu quoque magna ſpirituum copia, uti §. 10. oſtendimus, indifferenter ad omnes muſculos per nervos à cerebro tendentes §. 2. fluit; Sic pariter omnes

mu-

muſculorum tubuli, humoribus pro nutritione partium circulantibus, & ſpiritibus æqualiter ſunt repleti §. 7. Cum autem mens noſtra pro lubitu ſuo hunc vel illum motum edere intendit, internuncios ſuos ſpiritus, per nervos motui voluntario dicatos §. 6. in partem movendam mittit: v. gr. quando brachium inflecti debet, ſpiritus in brachium determinantur, hinc æquilibrium muſculorum tollitur, & contractor ſtatim magis turget, unde fibræ à ſe invicem recedunt, & venter ejus intumeſcit, in longitudine verò abbreviatur; quare neceſſariò ad ſe trahit alteram ejus extremitatem: contractio autem fieri non poteſt, quin expanſor relaxetur; unde fit, ut humores contenti per poros vicinos, quorum fecimus mentionem §. 8. ad contractorem exeant, cui multum auxilii conferunt, tollendo æquilibrium ſpirituum, unde ſequitur contractio brachii. Aut, cum digitum negligenter in æquilibrio jacentem contrahere volo, ante iſtam contractionem muſculi antagoniſtæ æqualiter ſpiritibus turgent: quando itaque ſpiritus animales ad inflectendum digitum determinantur, muſculus digiti contractor, in quem influunt, magis turget, atque ſic contrahi debet; cum autem hic contrahi nequeat, quin oppoſitus ejus expanſor laxetur, neceſſum eſt, ut ſpiritus & humores, qui in illo hoſpitantur, exeant per poros cutis inſenſibiliter; cum verò omnes ſimul tranſpirare non poſſint, neceſſariò debent reliqui influere in muſculum antagoniſtam per poros, & ſic concurſu ſuo juvant alterius muſculi contractionem.

X I I.

Maxima difficultas apud Auctores eſt, quomodo à ſpiritibus animalibus tam ſubtilibus, tam efficaces & momentanei motus fieri poſſint? adeò enim ſunt momentanei, ut inter imperium & executionem nullus ordo eſſe videatur. Deinde muſculi nonnulli tam ampli ſunt, viæque in illis tam multæ atque latæ, ut nulla proportio inter nervos, illoſque videatur; & ſic quidem ſenſim aliquis videatur induci poſſe motus, non tamen adeò ſubitaneus & efficax, cum multi effluant eorum, qui affluunt, ſpiritus: ſed certum eſt, nervorum & muſculorum tubulos ſpiritibus & humoribus repletos eſſe; quæ repletio, cum negligenter muſculi jacent, nullius motus cauſa eſſe poteſt; ab iis enim uterque muſculus antagoniſta æqualiter repletus eſt. Requiritur itaque aliquid aliud, quod illud tollat æquilibrium, ſcil., ſpiritus à mente determinati,

quô

quô multum etiam confert muſculorum antagoniſtarum vicinia, quà ſpiritus & humores facillimè ex uno in alium muſculum tranſeunt; hinc tam efficaces motus. Difficulter quidem concipiunt Auctores, quomodo tam exiguo, imò momentaneo tempore ſpiritus à cerebro in muſculos longè diſſitos, v. gr. pedum, influere poſſint. Facilis tamen eſt reſponſio, ſpiritus illos, qui in muſculos influunt, eò à cerebro non deferri, ſed nervos jam à ſpiritibus repletos eſſe, & ſtatim atque in muſculum hunc vel illum à mente aliqui ſpiritus determinantur, illi, qui in nervi ſunt extremo, influere debent, pari ratione, quà baculus in altera extremitate motus, in altera eodem momento movetur; ſpiritus enim, licet continuum corpus non ſint, rationem tamen habent corporis continui, æque, ac aqua in ſiphone contenta; adacto enim piſtillo ab altera extremitate, eodem momento cum impetu aqua erumpit. Simile igitur quamprimum fit in nervis & muſculis, à mente æquilibrium muſculorum tollitur, & hinc motus momentanei.

XIII.

Nunc igitur ad ipſam *Epilepſiam* progredimur, ejus phœnomena enarraturi. *Signa* autem *imminentis* paroxyſmi epileptici ſunt capitis dolor gravativus, aliquando acutus, aurium tinnitus, oculi coruſcantes, inſomnia turbulenta, faciei lividus pallor, linguæ balbuties, impotentia loquendi, ante paroxyſmum ſolito magis eſuriunt, aliquando vomunt, quandoque brachii, cruris vel dorſi ſpaſmus levis, aliquando intra hypochondria ſentitur contractio, nonnunquam homines ſentiunt auram frigidam aſcendere ex parte aliqua. Nonnulla quidem recenſita ſigna certò imminentem Epilepſiam non deſignant, certius tamen in illis deſignant eam, qui vel ſemel vel ſæpius paroxyſmis epilepticis laborârunt. *Concomitantia* verò phænomena ſunt: ſubitanea invaſio, cum homines nihil tale cogitant, omnium ſenſuum privatio, proſtratio in terram, qua, ut *Williſius de Morb. convulſ.* exprimit, non cadunt, ſed vi quaſi & cum impetu in terram præcipitantur ægri, ſpuma oris, reſpiratio ſtertoroſa, clamores, convulſio membrorum varia, ſtridor dentium, pollicum contractio, pectus immaniter feriunt, venter & præcordia intumeſcunt, nonnulli lotium excernunt, ſemen rejiciunt, & feces alvi emittunt, in fine omnia hæc ſymptomata ſubitò ceſſant. Signa *conſequentia* ſunt, quod mente ſint impotente, totum corpus à paroxyſmo doleat, ceu fuſtibus contuſum eſſet, & ter-

mi-

minantur in apoplexiam, paralyſin vel hemiplegiam, aut fatuitatem perpetuam. Notandum autem, non omnia allata phœnomena apud omnes epilepticos ſimul apparere, ſed modò hæc, modò illa: eorum verò, quæ ipſam Epilepſiæ eſſentiam conſtituunt, phœnomenorum, noſtra nunc danda Epilepſiæ *definitio*, meminiſſe debet, quæ nihil aliud eſt, quam *ſubita proſtratio omnium ſenſuum, cum convulſivo partium motu, à peregrino fermento in corpore latitante orta. Subitam* dixi, qua differt à morbis ſoporoſis, qui *ſenſim* plerumque increſcunt, ut ſunt coma utrumque, carus, lethargus &c. Addidi, cum convulſivo motu, quia apoplexia & catalepſis itidem ſunt *ſæpe ſubitanei* morbi, ſed non cum motu convulſivo.

X I V.

Ex recenſitis phœnomenis apparet, Epilepſiæ cauſam eſſe peregrinum aliquod fermentum, in corpore noſtro latitans. Aliquando enim ab ægris ſentitur ante paroxyſmum aſcenſus cujuſdam auræ, quam nonnunquam vel ex ipſo pollice pedis majore aſcendere ſentiunt: ſic in omnibus partibus ſolidis talis fomes latere poteſt, ut G. Cald. de Hæredia in Tribunal. Med. p. 336. annotat de dolore ad radicem pollicis ſiniſtræ manus. Plura videri poſſunt apud Schenck. l. 1. obſ. 196. & ſeq. certiſſimo indicio, à cauſa quadam accidentali id fermentum in aliquo latibulo concluſum loco eſſe motum, & perruptis clauſtris ſe miſcuiſſe circulantibus humoribus; & ſic circulari illorum motui obſequendo, per totum corpus eſſe diſtributum. Fermenti quoque hujus peregrini infallibile nobis præbent indicium illi, qui alias Epilepſiæ ſunt obnoxii. Si enim ſubitò & ex improviſo graviori excandeſcant ira, epileptici in terram proſternuntur; ira enim commovendo ſanguinem valdè æſtuare eum facit, ita, ut latera vaſorum propter impetuoſum ſanguinem nimis dilatentur, per quorum poros non tantum ſubtiliores ſanguinis particulæ, ſed etiam craſſiores tranſcolantur, quæ, dum ſecundùm circulationem ad partes ſolidas & latibula veniunt, fermentum in illis partibus hærens fortiùs aggrediuntur, id mox inde expellunt, aut ſaltem ad maturationem perducunt; quod, cum idcirco eodem ſpatio non amplius contineri poſſit, reſeratis valvulis unà cum humoribus rapitur ad vaſa lymphatica, ab iiſque delatum ad ſanguinem, ſubit cor, & hinc fermentum illud, cum ſanguine ebulliente ad cerebrum veniens, vaſaque nimium diſtendens, poros arteriarum

 nimium

nanimm aperit, ita, ut etiam craſſiores particulæ per earum poros tranſeant, unde initia nervorum obſtruunt & acredine ſua nervos vellicando, faciunt paroxyſmum epilepticum. Ita quoque ex ipſo paroxyſmo intermittente concludere poſſumus, aliquod fermentum latere in parte ſolida, quia per intervalla redit. Hinc omnem Epilepſiam oriri judicamus à tali fermento peregrino.

X V.

Oculorum verò *coruſcatio*, *aurium tinnitus*, *inſomnia turbulenta*, *ſpuma oris*, *ſubitanea invaſio* &c. oſtendunt, tale fermentum in ſanguine enormes efficere fermentationes, quæ ſimul craſſas & viſcidas particulas in cerebri ventriculos extrudunt, unde principia nervorum obſtruuntur; copia autem illarum particularum ſat magna erit, ſi cogitemus, myriades vaſorum in cerebrum hiare, à quorum ſingulis, ſi exigua ſaltem conferatur portio, illæ, utut exiguæ, portiones ſimul ſumtæ obducendæ ſuperficiei ventriculorum ſufficient, quod omnium ſenſuum privatio, dolores capitis &c ſatis abunde demonſtrant. Deinde ex variis iſtis membrorum convulſionibus certo certius concludimus, fermentum illud conſtare ex acredine, quæ cum ſpiritibus & humoribus commixta, ſubinde in his, ſubinde in illis partibus convulſiones producit: & ſic ex phœnomenis pateſcit, *cauſam continentem* partim in ſanguine, partim in aliqua parte ſolida contineri, licet incertâ, quia aura illa frigida jam ex hac, jam ex illa parte aſcendere ſentitur.

X V I.

Nunc videamus, utrum omnia reliqua phœnomena ex poſita cauſa deducere liceat. Scil. ſentiunt aliquando ægri inſtante paroxyſmo caput gravatum; craſſi enim & viſcoſi humores, ope allati fermenti peregrini extruſi, cerebri poros non tranſeunt, ſed eos obſtruunt. Quoniam verò ſemper novi accedentes humores colliguntur, hinc *dolor gravativus*: cum verò & humores *acres*, aut à fermento, aut ab intemperie, quæ adeſſe & abeſſe poteſt, continuè ſecernantur, ſeſeque in poros obſtructos inſinuent, mens, quæ corpori arctiſſimè juncta eſt, *acutam* percipit *ſenſationem*. Parili ratione craſſi illi humores extruduntur in cavitatem auris, ejus tympanum ferientes, mentique tum repræſentatur *aurium tinnitus*. Oculi *coruſcant*, non alia de cauſa, quam, quod humores ex fermento illo peregrino nunc moveri & ſanguinem agitare

inci-

incipiant, hinc nimium turgeſcant. Fermentatio illa enormis cum craſſiores ex poris vaſorum particulas vi extrudit, illæ verò extruſæ directè ac indirectè oppoſita feriunt ventriculorum cerebri latera; tunc hæc vel illa fortuitò aperiunt veſtigia, quæ faciunt, ut anima de his veſtigiis conſuetis, tanquam de rebus extra ſuum corpus poſitis, judicet, unde *turbulenta fiunt inſomnia*. *Faciei lividus pallor* conciliatur, eò, quod craſſæ & viſcidæ extruſæ particulæ cum humoribus pro nutritione partium circulantibus tardè moveantur, & ob frigus, cui facies potiſſimum expoſita eſt, ſtagnent: aut vaſcula capillaria obſtruantur, ne ſanguinem rubicundum ferant. *Linguæ balbuties* & *impotentia loquendi* ferè ab eadem hac cauſa originem habent, niſi quod hæc graviorem agnoſcat cauſam, ac illa; prout craſſi & viſcoſi humores nervis linguæ motoriis & reliquis partibus, quibus loquela adjuvatur, ſint infarcti nimis, quam, ut ſpiritus obſtacula hæc removere poſſint. *Vomitus* ſi forte adſit, ſuſpicionem movet, fomitem illi ægro, ſi non in ventriculo, ſaltem intra ejus membranas hærere. Uti in aliis verò ubique, ſic & in ventriculum acres deponuntur particulæ, quæ vellicando *famis* excitant ideam. Illa acredo quoque muſculos hypochondriorum vellicat, unde *contractio hypochondriorum*.

XVII.

Omnium ſenſuum privatio oritur, quia nervi ſpiritibus non ſunt tenſi. Diximus enim, ad omnem *ſenſum* & *motum* requiri, fibrillas nervorum à ſpiritibus animalibus ſemper tenſas eſſe debere, &, quamvis corpus continuum non ſint, rationem tamen habere continui: cum verò in univerſam corporis cutem deſinant, extremitatibus illorum motis, eodem momento alterum extremum movetur; quale quid in fune tenſo obſervare licet. Similiter certa ſpirituum animalium radiatio facta defertur ad ventriculos cerebri, atque ibi colorum, odorum, ſonorum, ſaporum, aliarumque tactilium qualitatum, ex lege conjunctionis, excitat ideas. Sunt autem hic ex demonſtratis theſ. xv. nervorum obſtructa orificia; conſequens igitur eſt nervos, ob denegatum ſpirituum influxum tenſos eſſe non poſſe, & impreſſos motus intermedio itinere perire. Et, ſi quis contenderet, nervos hic eſſe tenſos, utpote qui continuè ab arteriolis, nervos hederæ inſtar amplectentibus, rigentur, illi non multum adverſarer. Quamvis verò tubulii aliquos inde paucos acciperent ſpiritus,

 & fibril-

& fibrillæ *aliqualem* tremulum reciperent motum, cumque *aliquatenus* ad ſuperficiem ventriculorum deferrent, ibi tamen offenderent ſpiritus, ab ebulliente ſangnine protruſos, qui turbulento & vehementi ſuo motu radiationem languidè ſibi impreſſam planè eluderent, ideoque ſenſus peragi non poſſent.

XVIII.

Proſtratio in terram ad vulnera uſque, ferè ab eadem cauſa dependet. Nempe, magna vi opus eſt ſpirituum ad corpus ſuſtinendum: ſi quando igitur è contrario feruntur ad muſculos genuum contractores, & quidem convulſivo motu: corpus pondere ſuo in terram cum impetu ruere debet. Ut verò ſupra vidimus, ſanguinem in vaſis enormiter efferveſcere; ita idem non denegandum cenſemus humoribus, per partes & vaſa lymphatica circulantibus, qui ob idem vehemens fermentum peregrinum in *ſpumam* vertuntur. Huic quid analogum videre licet, ſi alcali cum acido confundamus, vel ſpiritum nitri cum terebinthina. Hæc ſpuma ex lymphaticis ad glandulas perveniens, eas, utut conſtantes alias habeant poros, obſequi tamen cogit, & ſpumoſos humores tranſmittere, unde in paroxyſmo graviori *ore ſpumate* epilepticos conſpicimus. *Reſpirant cum ſtertore*: ſcil. per dies & noctes reſpirationis uſus reſpiratorios nervos fecit patentiores, ita, ut viſcida materia illos tam facile & tam arctè, uti reliquos, obſtruere nequeat, quia impetui ſpirituum animalium pateant; illoſque, quamvis exigua copia, tranſmittant in muſculos diaphragmatis atque thoracis inſpirationi dicatos. Cum verò ſanguis efferveſcens, ut alio, ſic etiam in fauces catarrhum depoſuerit, aëri ſanè difficilior factus eſt tranſitus, unde cum ſtertore reſpirant.

XIX.

Videmus *vagas* partium *convulſiones*, *dentium ſtridorem*, *alliſionem capitis*, *pollices concluſos* &c. quæ omnia ſunt ſpecies convulſionum. In ſtatu naturali oſtendimus, motum muſculorum à ſpiritibus animalibus per tubulos nervorum, velut totidem infundibula, influentibus, peragi. In Epilepſia igitur ſanguis acer eſt, hinc etiam tales ſpiritus gignentur, qui in nervos influentes, muſculos rodunt & laucinant, unde ii convelluntur, i. e. ad principium ſnum involuntariè retrahuntur. Convulſiones autem fiunt à ſitu fibrillarum in cerebro, in quo nervorum

inci-

incipiunt extremitates, quorumque pori plus ſolito hiant in cerebri ventriculos, dum circumjacentes tubuli aut anguſtantur, aut etiam clauduntur, & ſic fiet, ut ſpiritus copioſe in eundem nervum influant. Si itaque contingit, illam apertionem in momento fieri, momentanea quoque fiet convulſio: habeant v. gr. duo ejuſdem digiti muſculi antagoniſtæ eundem nervum, qui, ubi in cerebri cavitates hiat, ſubitò ex dimidia parte aperiatur, eodem momento ex altera parte claudetur, & ſic ex dimidia parte ſpiritus copioſè irruent in alterum muſculorum, ex oppoſita verò parte in muſculum oppoſitum pauci aut nulli influent, unde neceſſariò fiet *convulſio*, quia alter muſculorum relaxatur, alter contrahitur. Aliquando etiam in ipſis muſculis datur occaſio convulſionis, dum ex arteriis humores acres in muſculos deponuntur, qui nervoſas illorum fibras vellicando, faciunt, ut anima dolorem ſentiens, copioſiores eò amandet ſpiritus, quod, dum cum impetu fit, via nervi ad muſculum oppoſitum intercluditur, & membrum convellitur.

XX.

Infantes quoque utplurimum motibus convulſivis obnoxii ſunt. Cum enim matres intemperie acri laborantes illos lacte obruunt, eorum ſanguis acredinem quoque adſciſcit. Tempore quoque *dentitionis* infantes motibus convulſivis vexantur, ob doloris magnitudinem, quos ſatis vehementes eſſe debere, crebri infantum ejulatus indicant, quibus ferendis dum in fantes impares ſunt, fiunt convulſivi motus.

XXI.

Vidimus, quomodo convulſiones fiant, à quibus *ſpaſmi* partium hinc inde vagi non multum differunt, niſi quod hic continua convulſio ſit, per quam magna ſpirituum copia ſubitò & impetuoſè in muſculos ruit, quos ultra modum inflant & diſtendunt, unde valvulis, quarum mentionem injecimus, vim inferunt, eaſque in contrariam partem revellunt: ideò ſpiritus & humores in muſculum oppoſitum fluere nequeunt, neque eadem via retrogredi valvulis id impedientibus; & ſic neceſſe eſt, muſculos inflatos teneri, quoniam ſpiritus in muſculis hærent, & fibrillas diſtendendo, vel periculum ruptionis inducunt, vel actu rumpunt, unde convulſio ſpaſmodes oritur dolorifica. *Pectus immaniter feriunt*, dum vario modo haſce partes convellit humorum acrimonia, motibuſque convulſivis nunc horſum nunc illorſum detorquet. *Venter & præcordia intumeſcunt*,

quando

quando ſcil. præcluſis & oppilatis partium poris ob craſſam & viſcidam materiam halitibus ac vaporibus ex ſubita illa ebullitione ſuſcitatis, non datur tranſitus; quapropter partes, in quibus concluduntur, diſtendunt, & in magnam circumferentiam attollunt. Pro ut vel veſicæ fibræ, vel veſiculæ ſeminales, vel inteſtina acrimoniâ lancinantur, jam *lotium*, *ſemen aut feces alvi emittunt.* In fine *omnia ſymtomata ſubitò ceſſant*: Poſtquam enim vis fermenti aliqualiter eſt infracta, ut non amplius ſanguinem ad talem vehementiſſimam fermentationem, qualem deſcripſimus, deducere poſſit; non amplius craſſa & viſcida materia in cerebri ventriculos extruditur, ſed potius tenuiores & volatiliores partes magna in copia & valdè motæ, quoniam ſanguis nondum totaliter à fomite illo ferociſſimo eſt reſtitutus, quæ nervorum principia iterum deobſtruere valent, ideò tandem homo ad ſe redit. *Poſt paroxyſmum ſæpe mentis adeò non compotes* ſunt, præprimis, qui ſæpè Epilepſiâ vexantur: nimirum impreſſa cerebro veſtigia obliterantur à materia craſſa & viſcida, quæ per fermentationes enormes fuit extruſa in cerebri ventriculos, unde multarum rerum oblivio quibuſdam oritur, & mens poſtea de iſtis obliteratis veſtigiis judicare non poteſt, ſed alia connectit, non rectè conſiderando omnes circumſtantias, mens præcipitatur, & varia ſine connexione profert, quæ ita ſe non habent. Totum quoque *corpus à paroxyſmo dolet*, ceu fuſtibus contuſum eſſet, quià non ſolum convulſionibue, ſed etiam ſpaſmis affligitur. Sic non rarò *terminatur in apoplexiam* aut *paralyſin* aut *hemiplegiam*: dependent hæc omnia ab obſtructione nervorum, prout principia obſtruuntur.

XXII.

Peracta phœnomenorum explicatione à *cauſa continente* productorum, porrò *cauſas procatarcticas & antecedentes* conſiderabimus: tales ſunt ſanguis pituitoſus, craſſus, acer, & valde impetuoſus, partium ſolidarum obſtructiones, evacuationum ſolitarum v. g. menſium, hæmorrhoidum &c. ſuppreſſio, animi paſſiones, ut iracundia, terror &c. item lapſus, ictus & varia vulnerum genera, ſi præſertim cranium & meniuges attingant. Item *Diæta* error, ſi fuerit ex auſteris, acidis, acerbis, viſcoſis, aut ex dnris & fermentatu difficilioribus. Quid huc faciat aër, vide ſis Hipp. aphor. 49. S. 2. item Sol, aut ignis

Hipp. L. de Morb. Sacr. Notandum autem hic, ſæpiſſimè Epilepſiam & menſium ſuppreſſionem eſſe duos affectus, mutuò ſe concomitantes, ortos tamen ab eadem cauſa, tanquam aliquo tertio: nimirum, uti ſanguis craſſus, pituitoſus aut acerbus per totum corpus circulatur, & ubique humores deponit; ſic quoque intra ſubſtantiam uteri & teſtium tales humores ſecernuntur, qui multas obſtructiones producunt, ubi ergo colliguntur, lentaque ac diutina digeſtione inducunt naturam fermenti, quod per temporis intervalla ebullitionem concipit, & ex latibulo, majoris ſpatii occupandi ergo, exit, ferturque ad ſanguinem, tantaſque ibi turbas excitat, quantæ in Epilepſia obſervari ſolent.

XXIII.

Item *per hæreditatem* Epilepſia tranſplantatur, ut exempla ſæpè occurrentia teſtantur, & *Balthaſ. Brunner. conſ.* 16. annotavit. Ratione temporis invaſionis Epilepſia iterum variat: nocturnam *Schenck. l. 1. obſ.* 203. *L. Scholtz. Conſ. Med.* 42. *&* 43. ſexies quotidiè accedentem *Nicol. Tulp. l. 1. c.* 11. Lunaticam puellæ *F. Plater. obſ. p.* 19. advertunt. Vulgatum aliàs, qui nimium ſalis comedunt in venerem proclives eſſe: idem in epilepticos quadrat: acribus enim abundant particulis, quæ ipſos titillando ad coitum proclives reddunt: illa verò titillatio cum præcipuè à paroxyſmo fiat, ad prolem generandam ſe accingere ſolent; Cum verò ſubtiliſſimus æther quorumcunque corporum poros continuè tranſeat, ille etiam fluens per alterutrius parentum ſanguinem, fermento epileptico imbutum, cum ſanguine circulando fluet per partem ſeminis, & ſemen eadem imprægnabit materia, & ſic ad liberos derivabitur.

XXIV.

Paroxyſmus autem epilepticus *incertis* vulgò redit temporibus prout fomes magis vel minus eſt pertinax. Continuò enim corporis calore matureſcit, donec tandem ad fermentationem perducatur, unde valvulæ rumpuntur, aut in contrarium ſitum revelluntur,

tur, eundo ad ſanguinem, paroxyſmum excitat. Lapſu temporis fermenta illa poſſunt multiplicari; hincque longiores & frequentiores paroxyſmi evadunt. Vel *à cauſis accidentalibus* facilè Epilepſia oritur, præcipuè à terrore: Sentimus enim in terrore quandam radiationem per totum corpus, quæ nihil aliud eſt, quam influxus ſpirituum inter omnes corporis fibras, qui omnes humores in tubulis partium circulantes movent, hinc quoque fermentum epilepticum elicitur à circulantibus humoribus. Anſam quoque Epilepſiæ dare poſſunt piſces marini & nonnulli horarii fructus, qui valde peregrinum aërem ſubtiliſſimum per poros vehunt, unde ſanguinis fermentationes alterantur, atque fomes epilepticus ex ſuo latibulo eruitur. Vinum generoſum in copia aſſumtum, ſæpiſſimè quoque eluit fermentum hoc epilepticum, ut multa exempla hoc docent.

XXV.

Si verò *paroxyſmus certis temporibus* ſive ſtata redit hora, non impoſſibile eſt, quod complicetur cum febre quotidiana, quæ, cùm è latibulo ſuo egreſſa eſt, fomitem quoque epilepticum ſecum ſubinde abripit ad ſanguinem: quamvis & citra febrem eſſe poſſit, quia Sol matutino & veſpertino tempore non eodem modo agit, ſed radiis modo rectis, modo obliquis, iiſque magis vel minus incidit in terram, unde non ſemper iiſdem particulis aërem noſtrum impraegnat, quarum, quando aliæ præ aliis cum fomite fermentantur, Epilepſia oritur. *Aliquando auſcultat phaſibus Lunæ*, non ſecus ac fœmineum corpus: notum enim eſt, Lunam menſtruo ſpatio curſum ſuum abſolvere, ideò radii ſolares non ſemper eodem modo in Lunam incidunt, ſed modò has modo illas particulas abradunt, ſecumque ad aërem noſtrum deferunt: Prout autem particulæ hæ aërem ſubtiliſſimum per poros ſuos ſecum vehunt, qui cum fermento epileptico in corpore latitante fermentatur, ſic quoque paroxyſmus eo potius tempore ingruet, quo hæc vel illa materia à phaſibus Lunæ introducitur in aërem noſtrum. Aliquando certis anni temporibus ſedit, quia ad tellurem noſtram jam alia ſidera accedunt, jam recedunt, quæ certum ſecum ferunt aërem, à quibus noſter aër pro vario acceſſu & receſſu aliis aliiſque impraegnatur particulis. Si jam per iſtarum

par-

particularum poris talis trajiciatur materia ætherea, quæ cum fomite epileptico concurrens, fermentatur, tunc ſtatis anni temporibus fiunt epileptici.

XXVI.

Cum ſigna diagnoſtica ex antecedentibus ſatis ſuperque pateſcant, circa ea ulterius non morabimur, potius ad ipſam ſtatim properamus *Prognoſin*. Venerandus Senex. aph. 7. S. 5. ait: *Epilepſia, quibus ante pubertatem contingit, mutationem accipit; quibus poſt vicesimum verò quintum annum, eos fere comitatur ad mortem uſque:* Nimirum *juvenes* fibras habent molliores & mobiliores, ideò facilius curantur; è contrario *ſenes* difficulter, quia eorum fibræ robuſtiores & conſtantiores ſunt. Sic facile curantur illi quibus *à cauſa nova* oritur, ut ictu, lapſu, ſuppreſſis menſibus & hæmorrhoïdibus, quibus ſublatis ſimul tollitur. Difficillimè *hæreditaria* curatur, quia fomes cum ſemine contractus non uni ineſt parti, ſed per multas diſtributus eſt; requiritur autem ætas tenerior, ut *Hipp. loc. cit.* ait. Nec *gravidarum Epilepſia* immedicabilis; cum fortiora ferant medicamenta, quam Antiquitas putavit. Si ſæpius redeat cum vehementia, longævam vitam non concedit.

XXVII.

Nunc videamus, quomodo *Curatio* inſtitui debeat, ut cauſa, quæ Epilepſiam producit, removeatur; remota enim cauſa tollitur effectus. Cura dupliciter peragitur, vel *in paroxyſmo*, vel *extra paroxyſmum*. In paroxyſmo pollices è manibus extorqueantur, ut convulſionis occaſio inhibeatur, & nervi rectiſſimum accipiant ſitum. Ne mordeatur lingua, ſuber in os intrudatur, & ut eò melius medicamenta in os infundi poſſint. Naribus admoveatur ſpiritus ſal. armoniaci, à calce viva deſtillatus, lagenâ prius conquaſſatâ, vel ſpiritus vitrioli volatilis, tincturæ & olea ex caſtoreo, galbano, aſa fœtida, ſuccino &c. Linguæ affricetur oleum ſuccini, ol. cinnamomi, caryophill. &c. Aqua aliqua apoplectica, anti epileptica, anti paralytica, hyſterica &c. ori infundantur. Vel ℞ aquæ epilept. Langii, ceraſor, ni-

nigror. lilior. convallium cum vino deſtill. flor. pœoniæ a. ℥j. ſpecific. cephal. ʒij. ſyr. flor. pœon. ℥j. ſpiritus lilior. convall. ceraſor. nigr. ana. ʒj. Miſc. F. Hauſtus. Vel ℞. aquæ ceraſ. nigr., lilior convall. cum. vino deſtill. epilept. Langii. ana ℥j. ſpiritus vitrioli epilept. compoſ. ℈ß. ſyr. flor. pœoniæ ℥j. Miſce F. Hauſtus. Tempora, nares, frons, cranium circa ſuturas, præcipuè coronalem, & carpi manuum illinantur balſamo apoplectico vel alio: aut lintea illis partibus, aquis ſpirituoſis imbuta admoveri poſſunt; ut aqua vitæ Matthiol., aqua hyſterica Mynſicht. &c. l. ℞. aquæ liliorum convall., epilept. Lang., arthritic. Auguſtan, ana ℥j. flor. lavendul, cinam. ana ʒß. Miſc. F. Mixtura. Sic balſamo apoplectico notabilis quantitas moſchi additur illaque umbilico inungitur efficaci ſucceſſu, uti & omnia præparata ex Moſcho copioſo, potius tamen in ſexu nobiliori, quam ſequiori. Pro ulteriori excitatione ægri ſint ligaturæ dolorificæ ſubinde ſolutæ; crinium vellicationes in contrarium ſitum, vociferationes chariſſimorum nominum, acres clyſteres & ſternutatoria &c. quæ omnia adhibentur, ut principia nervorum obſtructa aperiantur, & æger eò citius à paroxyſmo excitetur.

XXVIII.

Poſt ipſum diſcuſſum paroxyſmum, ut cauſam morbificam funditus & radicitus exſtirpare poſſimus, prius intemperiem ſanguinis corrigere neceſſum habemus, quoniam in *non nullis* valdè notabilis cacochymia adeſſe ſolet, dum contra alii, abſente paroxyſmo, ſatis bene ſe habent, omniaque ſanorum munia obeunt. Si cacochymia notabilis adeſt, & corpus quoque plethoricum eſt, aut ſolitæ evacuationes ſunt ſuppreſſæ, venæ ſectio prius inſtitui debet, ut ſanguis minuatur & facilius corrigatur; Alias enim Epilepſia Venæ ſectionem non indicat. Inſtituitur autem in brachio, ſi ſanguis impetuoſus vel nimis ſubtilis; in pede vel talo, ſi craſſus eſt, non attendendo ad has vel illas venas, dummodo majores eligantur, cum in gracilibus venis non niſi ſanguis ſubtilior contineatur. Corrigitur itaque ſanguis craſſus, viſcidus & acris hoc decocto ℞. Cortic. tamariſc. rad. cappar. ana ℥j. ſaſſafras ℥ß. rad. ſarſæpar., chinæ, pœon. ana ℥j. herb.

card.

card. bened. verben. pentaph. an. M. j. flor. pœon. , papav. rhœad. an. M. j. ſem. pœoniæ papav. alb. an. ʒiij. Si à ſuppreſſis menſtruis, addantur pulegium, matricaria, aut hujus loco, ob ingratum ſaporem, artemiſia & ſemen nepet. contuſ. & conciſ. macerentur per XII. horas aut diutius in aqua hordei. Fiat deinde decoctio lenta in vaſe duplici : in colat. ℔iij. ſolv. mellis anthoſ. ℥j. ſpiritus Sulphuris per camp. q. ſ. ad gratam aciditatem. l. ℞. raſur. lign. buxi ℥ij ſ. juniperi, viſc. quercin. l. corylin. ana ℥iſ. rad. pœon. ℥j. ligni rhodii, C. C., cort. citr. ana ʒj. macerentur horis xxiv. in aquæ & vini ana ℔iiij : deinde coquantur ad tertiæ partis conſumptionem : ſub finem adde flor. tiliæ, lilior, convall. ana ʒij. & tranſcola. l. ℞. conſ. flor. abſinth. capill. veneris ana ℥j. rad. enul. campan. condit. ℥ſ. ſalis tamariſci, tartari vitriolati ana ʒſ. ſyr. capill. vener. q. ſ. M. F. Opiat. l. ℞. rad. gentian., dictam ni albi, tormentill., pyrethr. rhapont., biſtort., ariſtol. rotund., carlin., baccar. lauri, angelic., imperator., ſem. coriandri præparat., aniſi, granorum juniperi, maſtich., boli armeni, terr. ſigillat. ana ʒj. Sacchari q. ſ. ad gratiam Miſc. F. pulv. tenuiſſimus pro commoda tragea. Aut ℞. rad. enul. campan., calam. aromat., valerian. ſylv. ana ʒij. viſc. querc. ℥j. fol. ſalv. hyſſop. ana M. j. flor. ſtæchad. hyperic. ana p. ij. ſem. pœon., fœnic. dulc. ana ʒij. cinam. acuti ʒiij. nuc. moſchat. ʒj. cort. arant. ʒij. conciſ. & contuſ. craſſo modo involvantur ſacculo, vaſique indantur, affundanturque vini Hiſpanici, ſi acredo peccat, ſi v. pituita abundat, vini Gallici aut Rhenani, ℔iij. ſtent. per xxiv. horas in digeſtione. Horum decoctorum uſus exigit pro doſi uncias iij; l. iv. reliquorum cuſpidis cultelli unius alteriuſve quantitatem, ter quaterve de die, ſemper vacuo ventriculo, corpuſque interim in modico calore conſervetur. Aut loco horum compoſitorum hæc ſimplicia uſu venire poſſunt aliquoties de die in convenientibus vehiculis, ut tartarus vitriolatus à ℈j. ad ʒſ. tartarus nitratus à ℈j. ad ʒſ. cremor tartari à ʒſ. ad ʒj. Tinctura tartari a. ℈j. ad ʒſ. corallia & margaritæ præparatæ à ℈j. ad ℈ij. ſpiritus ſal. & nitri dulc. à gutt. xij. ad ℈j. l. gr. xxv. pro adulto; & plura alia.

XXIX.

Cum ſanguis benè præparatus fuerit, evacuandi poſtea ſunt vitioſi humores per purgantia ℞. extract. cathol. grana xiv. Mercurii dulc. gr. iv. l. v. trochiſc. alhand. gr. ij. iij. ol. ſuccini q. ſ. F. pilul. l. ℞. extract. panchymag. Crollii gr. xvj. Mercurii dulc. ℈. ſ. ſyr. de ſtæchad. Arab. q. ſ. F. pil. Aut ℞. conſerv. flor. pœon. ℥j. diaturb. cum rhabarb. gr. xij. reſin. Jalapp. gr. iij. ad v. ſyr. flor. pœon. & ſacchar. q. ſ. F. bolus. Aut ℞. Mercurii. dulc. gr. xij. extract. helleb. nigri gr. viij. M. F. l. a. pil. Si forſan fomes lateret in ventriculo, liene aut partibus proximè circumjacentibus, *emeticum* exhibendum eſt, v. gr. ℞. vitri Antimonii gr. v. l. vj., infundantur in vini albi Gallici. ℥ſ. l. j. mane coletur, & calidè aſſumatur. l. ℞. tartari emetici gr. ij. l. iij. iv. ſacchar. candi ℈ſ. Miſc. Sedes autem fermenti epileptici, quantum poſſibile, eſt perquirenda: Nam aliquando moleſtia ſentitur in illa parte, ubi hæret, & præſertim paroxyſmo ingruente: Tali linimento ille locus inungi poteſt: ℞. ungu. martiat. ℨvj. de arthanit. ℨiij. theriac. veter. ℨij. l. iij. balſam. Peruvian. Mercurii dulc. a. ℈ſ. ol. ſuccini gutt. iij. l. iv. ol. cocti de caſtoreo q. ſ. ad conſiſtentiam linimenti.

XXX.

Peracta humorum alteratione & evacuatione cauſam ipſam aggrediamur per potentiora ſudorifera, quæ vi quaſi omnes poros & tubulos aperiunt; & ſic conſequenter etiam fomitem è latibulo ſuo exturbant: tale eſt ſequens ℞. Sal card. bened. gr. xxv. bezoard. miner. ſimpl. gr. xvj. l. ℈j. croci gr. vj. laud. opiati gr. ſ. l. j. aut tinct. opii veræ ℈j. l. gutt. xxv. ſyr. de ſtæchad. ℥ij. l. iij. aquæ card. bened. ℥iij. ſpirit. ſal. armoniaci gutt. xij. M. F. Hauſt. l. ℞. aquæ flor. tiliæ, lilior. convall. beton. ana ℥j. theriac. ſimpl. ℨiſ. ſal abſinth. ℨſ. Sal volat. aromat. ℈ſ. ſyr. de ſtæchad. ℥iij. M. F. Hauſt. vel ℞. Antimon. diaph., flor. Sal armoniaci, Sal abſinth., ana gr. xiv. M. F. pulv. Vel ℞. conſ. flor. pœon. ℥ij. diaſcord. Fracaſt. ℨij. confect. hyacinth. ℨj. terr. ſigillat. ℈j. ocul. cancr. pulveriſ. ℨſ. M. F. Condit. Aut ex ipſis ſpecificis, ut vocantur, tales formulæ

poſ-

poſſunt concinnari ex. gr. ℞. cinnabr. nativ. pellucid. & ſplend. ʒſ. perlar. l. corall. præparat. ℈ij. croci ℈j. fol. auri diligenter triti num. v. terantur omnia ſubtiliſſ. Doſis eſt à ℈ſ. ad ℈j. Vel ℞ cinnab. Antimonii gr. xij. ungul. alcis ℈j. magiſt. corall. & perlarum an. gr. xviij. M. F. pulv. pro tribus doſibus. Vel ℞. cranii humani ʒj. gran. pœon. excortic. num. xv. ſacchari in aqua flor. tiliæ ſolut. q. ſ. M. F. Orbiculi. Sudorifera ſæpiſſimè adhiberi debent, ut corpus ad ſudores perveniat. Si verò horam paroxyſmi epileptici ſcimus, hora una circiter ante paroxyſmum præſcriptorum ſudoriferorum doſis aſſumi debet, & ſic fermentum illud peregrinum, dum fermentationem concipit, & ad ſanguinem rapitur, eò citius radicaliter è ſuo latibulo eradicabitur.

XXXI.

Apud Auctores innumera ſpecifica reperiuntur, quorum pauca adhuc ſubjungam; Talia ſunt cranium humanum hominis violenta morte extincti, & ejus muſcus, item cranii humanii magiſterium à ℈j. ad ʒſ. Ol. & ſpiritus cranii humani à gutt. iv. ad vj. ungula alcis, quæ in ſubſtantia ſumitur à ℈j. ad ℈ij. Geſtantur quoque annuli & amuleta ex eâ, quæ mederi poſſe putantur, ſecundina fœtus humani in umbra ſiccata, & pulveriſata à ℈ij. ad ʒj. exhibenda in aqua ſpirituoſa tanaceti, cujus vires inter alios, Celeberrimus D. Bernhardus Albinus Phil. & Medic. Doct. & Profeſſ. Ordin. in illuſtri Academia ad Viadrum, Præceptor meus Honorandus, cujus mihi ſancta erit, dum vivam, memoria, compertas habet. Caſtoreum, quod omnibus epilepticis medicamentis addi vult Sennertus, radices ariſtolochiæ rotundæ, angelicæ, valerianæ, imperatoriæ, quarum poſtremæ duæ maximè laudantur in Miſcell. Natur. Cur. Germ., eſſent. ſem. pœoniæ, ſtercus vaccæ l. aſini, oleum Heraclinum Rulandi, oleum guajaci rectificatum, ol. lavendulæ l. juniperi, extract. ex baccis juniperi, ol. C. C. Sal ejus volatile, ſpiritus ungularum alcis, ſpiritus eſſentificatus C. C. Spiritus vitrioli philoſophicus D. Michaelis, ol. ſuccini rectificatum, & omnia ex Luna præparata.

XXXII.

XXXII.

Cura infantum ab hac non multum differt, dummodo Medicus pro judicio doſin minuat, & ad nutricem, ſi forſan illa mali fuerit cauſa, ſe quoque convertat.

XXXIII.

In *Diæta*, aër ſit temperatus; nimius vini potus vitetur, & ſit oligophorum; alimenta herbis condiantur cephalicis, vitentur carnes porcinæ, hædinæ, quia ſalem volatilem peculiarem habere videntur, qui noceat Epilepticis, ceu etiam cepæ & allium; abſit ira & terror; alvus reſpondeat, & ſomnus ſit modicus.

FINIS.